



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Dympna V. M. 15. Maii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

abripitur: sed eam Andreas & Paulus
 adolescentes Christiani, & utroq; for-
 tior cælestis genius multâ circumfusus
 luce, à vitutaj sunt; illis postridie lapi-
 dum jactu obrutis, invidit Dionysia
 tam suavem sub hâc grandine mortem,
 inque mediam se procellam inferens,
 suosque amplexa servatores, popularis
 insanix reliquias exhaustit. Vixit tamen
 etiam cum detonisset, & ultimum
 gladio spiritum impendit. Sed nimi-
 rum saxa & sanguinem loquimur: Bea-
 tuli nostri ire ad cælum viâ lacteâ, &
 calcare rosas volunt. *Ex Sur.*

S. D Y M P N A V. M. 15 Maii.

Nisi frontem unâ cum oculis amisit
 Nimprobus amor, erubescet ad infamiam
 facinoris, quod ipso auctore, sub
 annum sexcentimum gestum est.
 Regebat eo tempore Hibernos rex bar-
 barus, nullâ re nisi amore odioque filia
 nobilis. Viduatus conjuge filiam in
 thorum pellexit, eâ quidem formâ, cui
 comparari eo ævo nulla poterat, sed iis
 moribus, ut non modò incestos amo-
 res abominaretur; sed præter Deum
 nubere omnino nemini in animum in-
 duceret. Vim tamen verita ab insano
 amatore, cum Gereberno sacerdote
 fugam ultra mare capessit, & in agro
 Antverpiensi sanctioribus se curis ad-
 dicit. Pater eodem paulò post appulsus,
 cum

cum illa ipsa imagine signatum argentum exponeret, quâ obsonator filiaë hospiti latiffecerat, ejusdem indicio filia prodita est. Fœda omnia sunt, quæ deinde procius dixit, vel carnifex fecit; malumus tamen spectare sanguinem, quàm audire verba improba & lenonia; quibus cum nihil moveretur, Gerbernus primùm tutor pudicitiaë illius, ferro obtruncatus est; Virgo deinde parentis ense cecidit nobilissima castitatis victima. Funus cælum curavit, neq; puduit Angelos vespillonum officium occupare, allatis è candido marmore urnis. Virginis honori hoc amplius datum, ut nomen ejus gemmæ Angelus inscriberet; eo argumento agnovit posteritas DYMPNAM vocatâ fuisse. Itenunc Alexandri, & manus quibus pingi fingiq; velitis quærite: Castitas calatorem Angelos habet, & tamē, heu, quàm pauci cupiunt hoc calculo notari! *Ex Sur.*

S. V B A L D V S E P. 16. *Maii.*

VBALDVS infulam unam alteramve fugâ declinavit, tertiam eamque Eugubii in patriâ non potuit effugere, Summi Pont. auctoritate captus. Geminis cœcis cum oculos restituisset, tertium idem roganti, docuit libenter oculis carere, qui animum excœcaturi essent. Hostes innumeros patriam obsidentes omnes egit in fugam, cum uni-

S 3 cum